



SUPPLEMENTUM

AD

TRACT. I. DE JURE LEGALI.

CAPUT I.

De Jure Legali in genere.

SUMMARI A.

1. Lex debet esse rationabilis. 2. & seqq. Sufficit rationabilis negativa. 5. Assumitur paritas de consuetudine. 6. An lex declarativa egeat promulgatione? Ratio affirmandi. 7. & 8. Ratio negandi. 9. & seq. Temperatur controversia cum distinctione. 11. Secundum aliquos Leges de tributis non obligant in conscientia. 12. & seqq. Defenditur sententia contraria. 16. Suppositio, quod tributa jure fuerint imposita. 17. Secus, ubi major probabilitas stat in oppositum. 18. De aliorum sententia remissive. 19. & seqq. Referuntur argumenta negantium, quod lex simpliciter irritans habeat locum in foro conscientia. 24. & seqq. Refutantur singula sigillatim. 29. Regula S. Benedicti extra materiam veterum per se loquendo non obligat sub veniali. 29. & seqq. Varia objectiones in contrarium referuntur. 35. & seqq. Ad omnes in specie respondetur. 44. Corollarium.

QUÆSTIO I.

Quò sensu Lex debeat esse rationabilis?

Legem debere esse rationabilem, tradunt omnes, & constat ex hoc cap. numer. 61. An verò requiratur rationabilitas positiva & specialis, ita ut certa ac specifica causa aliqua subit; an sufficiat rationabilitas negativa seu generalis, quâ solum innotescat, legem latam aut ferendam recte rationi haud disconvenire, bonumque publicum per eam promovet? Paululum indagare lubet. Occurrit autem ante omnia *l. non omnium* 20. ff. de LL. ex qua edocemur, non omnium eorum, quæ à majoribus nostris constituta sunt, rationem reddi posse: rationem nempe (ut ego quidem opinor) certam ac specialem, utpote quam Legislator nec semper manifestat, nec manifestare tenetur, dum, qui superior est, subditis ad ratiocinia danda ægrè se obligari patitur. Adeoque non obscure

colligitur, ad legem sufficere rationabilitatem negativam, seu rationem generalem, quatenus nempe dici non potest, legem distamini recte rationis, bonis moribus, aut commodo publico repugnare. Qua de causa in *l. propehii* 12 §. 1. ff. qui & à quibus manumissi &c. statuitur, legem, etsi dura videatur, hoc ipso servandam esse, quod ita sit scripta: uti & ex eadem causa dicere solemus, legem in dubio præsumi rationabilem, ac utilitati publicæ proficuum, proindeque à subditis, nisi contrarium manifestè comperit, nisi manifestè comperit, prout notatum est in hoc eodem cap. numer. 62. Cujus declarationem petere licet ex præfenti tract. cap. ult. à numer. 41. ubi de rationabilitate in consuetudine, quæ legis vim obtinet, simili terè modò discurremus.

QUÆSTIO II.

An Lex declarativa indigeat aliquâ promulgatione?

Ratio affirmandi est: quia, ut arguit P. Krimer ad tit. de Constit. numer. 114. in quantum suâ declaratione Princeps vult omnes teneri ad legem suam, in sensu à se declarato observandam, innovat legem, antea datam sub tali sensu: ergo, ut velit communitatem per eum sub eo sensu obligari, substantialiter necessaria est promulgatio, quæ sufficiat causare notitiam, vel culpabilem ignorantiam ejus. Ratio negandi de-

sumitur partim ex cap. in causis 19. de Sent. & re jud. nec non *l. ult. in pr. & §. 1. Cod. de LL.* ubi tam S. Pontifex quam Imperator mandat, ut, quæ ab ipsis eorumque supremis Dicasteriis judicata sunt, à Judicibus inferioribus per modum legis declaratoriarum recipiantur, & in casibus similibus observentur, etsi nulla specialis promulgatio in ejusmodi rebus judicatis interveniat: partim ex eo, quod lex declaratoria non sit lex propria, aliquid de no-

vo agens aut constituens; indeque contra naturam legis ad actus præteritos se extendat, & num rectè sint positi, exponat, ut dictum in præf. cap. 1. numer. 191. consequenter specialem promulgationem non desiderat.

9 Fortè dissidium hoc mediante distinctione componi poterit, si dicatur, legem declarativam quidem non indigere tam strictâ promulgatione, sicuti lex ipsa primordialis, puta

quod in provinciis aut cum aliqua solemnitate peragatur; attamen requiri aliquam promulgationem minùs strictam, id est, qualemunque voluntatis manifestationem, intra vel extra judicium factam, in cujus notitiam si quis quocunque modo devenerit, juxta declarationem cognitam actus suos commensurare tenebitur. Quo in sensu intelligenda sunt dicta à nobis in hoc tract. cap. 5. numer. 46.

QUÆSTIO III.

An Leges de solvendis tributis & vectigalibus obligent in conscientia?

11 Nonnulli apud Covarruviam in relect. cap. peccatum de R. F. in 6. p. 2. §. 5. numer. 1. desectunt in negativam, putantes, similes leges esse pœnales, atque in foro conscientie ad solam pœnam obligare, si quæ imposita fuerit, postquam sententia Judicis præcessit. Plures verò defendunt affirmativam, nominatim cit. Covarruv. numer. 5. P. Engel ad tit. de Constitution. numer. 46. Clariss. P. Schmalzgrueber ad tit. de Censib. numer. 98. Clariss. P. Söll de Tribus. p. 3. cap. un. q. 1. numer. 262. Cui sententia ut meum suffragium in ea hypothese, quâ tributa & vectigalia jure imponuntur, subijciam, movent me, quæ in mea Jurisprud. publ. univers. lib. 3. cap. 3.

12 à numer. 83. latius deduxi: cum enim Summa Potestas, aut, qui Reipublicè præest, variis ex causis tum tributa tum vectigalia imponere valeat; ex natura correlativorum necessariò confurgit obligatio justitiæ ex parte subditorum, è suo patrimonio præstandi, aut solvendi, quod exactum aut imperatum est juxta monitum & præceptum Apostoli Rom. 13. ibi: reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.

13 Neque enim ejusmodi leges pœnales dici possunt, utpote in justitia commutativa principaliter fundatæ, pœnamque in eum duntaxat finem facientes, ut, qui ex honestate virtutis obtemperare nolunt, formidine supplicii aut multæ ad-

14 gantur; nisi (veluti cum aliis limitat Clariss. P. Söll d. l. à numer. 283.

P. Söll d. l. numer. 265. & seq.) aut leges, imponentes vectigalia vel tributa verbis minime præceptivis concipiuntur v. g. qui vectigal vel tributum non solverit, dabit duplum, quo in calu lex purè pœnalis erit, vel dubiè præceptiva, sicutè in foro conscientie ad actum non obligatoria ex dictis in hoc cap. à numer. 244. aut consuetudo, optima legum & obligationum legalium Interpres, declaret, ejus generis leges ad solam pœnam subditos obstringere.

15 Dixi: in ea hypothese, quâ tributa & vectigalia jure imponuntur. Nam, deficiente justâ impositione, deficit etiam obligatio parendi; nec tantum in casu, quò injustitia est manifesta, vel ob carentiam potestatis imponendi, vel ob defectum legitimæ causæ; sed etiam quando, expensis omnibus, probabilius videtur, tributa aut vectigalia injustè exigi: præsumptio siquidem, quæ cæteroquin pro Principe in æquali utrinque probabilitate militat, in hac, ad justitiam commutativam spectante materia, cedit argumentis fortioribus, in favorem subditorum pugnantibus, utpote qui non injustè recusant, portare onus, ad quod ex motivis probabilioribus se obligatos non esse prudenter judicant. Aliter non nihil differunt alii, quorum sententias refert, suamque cum distinctione statuit Clariss. P. Söll d. l. à numer. 283.

QUÆSTIO IV.

An Lex simpliciter irritans obliget eatenus in conscientia, ut ex actu irritato nullum commodum percipere liceat?

19 Cum affirmantibus sensu in hoc cap. à numer. 329. unaque rationes & exempla accumulavi. Jam operæ pretium erit, ut me ab objectionibus, quas congerit Clariss. P. Pichler ad tit. 2. de Constit. numer. 68. vindicem. Sunt autem sequentes. I. non apparet sufficiens ratio asserendi, actum etiam pro foro interno esse irritatum; præsertim cum lex irritans actum sit correctoria Juris Naturalis, adeoque odiosa, & ad forum externum restringenda. II. contra Legislatorem, simpliciter tantum irritantem, & nihil de foro interno dicentem, ex Regula Juris 57. in 6. interpretatio facienda, utpote

III. 22 qui legem potuisset dicere apertius. in illis Juris textibus, quibus actus pro utroque foro irritantur, addi solent clausulæ: etiam in foro anima non suffragentur; vel absque alia declaratione; vel quod obtentum est, non valeat retineri: ergo, ubi similes clausulæ omittuntur, signum est, irritationem solummodo fieri pro foro externo, pro quo sæpe irritatio sufficit ad finem legis obtinendum. IV. 23 in aliis textibus actus, ipso jure irriti, dicuntur irritandi, vel rescindendi, puta in cap. 8. de Consuet. & cap. 40. de Elect. Sed irritatio & rescissio supponunt valorem actus, dum, quod irritum est, irritatione non eget.

24 Verum Resp. ad I. rationes sat efficaces suspeteret, quibus irritatio ad forum internum quoque extendatur, puta quod lex simpliciter irritans alioquin non esset vera lex; neque verificarentur cum effectu illæ clausulæ pro imperfecto, pro nullo, pro infecto, viribus omnino careat; neque potentiam suam ostenderet Legislator, si facultatem agendi pro foro conscientie relinqueret, solumque eam exerceret in casu, quod super actu irritato quæstio ad iudicium devolveretur; ne utique refragante Jure Naturali, juxta cuius dictamen lex humana iusta in foro externo valorem suum etiam exserit in foro interno.

25 Ad II. Resp. perperam obtendi regulam 57. in 6. utpote ex qua probaretur certò nimium, nullam scilicet legem humanam obligare in conscientia, si Legislator speciatim & apertè non diceret, se velle, ut lex in conscientia servetur.

26 Ad III. Resp. adductas

QUÆSTIO V.

Num Regule SS. Ordinum obligent in conscientia?

29 Postquam in hoc cap. 1. à num. 352. de aliorum Ordinum Regulis & earum obligatione actum est, à num. 364. conclusum & probatum fuit, Regulam S. P. Benedicti, extra materiam votorum substantialium, per se loquendò, ne quidem sub veniali obligare. Contra quam conclusionem omni conatu insurgit P. Evangelista Rottner in sua *Margariæ Celesti seu Statu Religioso quæst. 11. art. 2. à num. 1129.* & præter diversas auctoritates (quibus ex nostris rationibus facile satisfieri potest) multos arietes admovet. I. Abbas quàm Monachus professus obligatur ad Regulæ observantiam, ut alii Religiosi: sed iste obligatur in conscientia ex cap. 3. S. Regulæ: ibi: *ipse tamen Abbas cum timore DEI & observantia Regula omnia faciat.* Ergo etiam quicumque professi.

31 II. illa Regula obligat in conscientia sub veniali, quæ habet verba præceptiva, & cui obligationi accedit communis sensus, æstimatio, & acceptatio viro- rum non doctissimorum tantum, sed etiam pietate & sanctitate celeberrimorum: at talis est Regula S. Benedicti.

32 III. obligationi Regulæ quoad forum conscientie non deficit jurisdictio: Regula enim fuit dictata à DEO, uti testantur SS. Hildegardis & Birgitta; & S. Benedictus, velut alter Moyses, sicut immediatè à DEO vocatus est ad munus Apostolicum, & potestatem prædicandi accepit, ut excinderet reliquias idololatriæ in Cassino, ejusque vicinia, ita à DEO datus Legifer noster ab eodem accepit potestatem, postea saltem tacitè ab Ecclesia approbatam, ex quo S. Benedictus brevissimo temporis spatio in Sublacensi tractu duodecim Monasteria excitavit, illisque præfuit, ceu Generalis, nec non etiam in alias partes Italix Ordinem suum novellum implantavit: ut hinc afferat Ludovicus Miranda in *Manual. tom. 1.*

clausulas interdum legibus adjici, non ex necessitate, sed ex superabundanti, ut scilicet præcludatur omne effugium, aut sinistra interpretatio, sub cuius velamento nonnulli sensum publicatæ legis ad forum externum tantummodò coarctare præsumunt.

Ad 27 IV. Resp. textum unum aut alterum, in quo actus, per legem irritati, irritari aut cassari jubentur, intelligendos esse de sententia declaratoria, quæ id, quod nulliter & invalidè pro utroque foro gestum est, retrò invalidum & nullum fuisse declaratur; sicque actus, ipso jure simpliciter irritus, de facto duntaxat irritatur, aut cassatur.

Alia si formetur explicatio, contra ipsosmet Adversarios convincitur, non tantum in interno sed etiam in externo foro actus censerit de jure validos, usquedum per sententiam irritentur; adeoque non dari legem, quæ ipso jure pro foro externo actum invalidet.

9. 4. art. 2. fuit hac Religio statim approbata à Diocesani, postea à S. Gregorio in Concilio Romano. Certè à mille annis nemo Sapientissimorum & Sanctissimorum Virorum cogitavit, defuisse S. P. Benedicto Jurisdictionem Ecclesiasticam: quoties enim exorta sunt dubia circa quantitatem obligationis Regulæ nostræ, toties unò quasi verbò hoc potuissent solvere: non habuit jurisdictionem: non potuit obligare &c. cur ergo tam operosè tam difficulter deciderunt? Potuissent quoque difficultates circa Regulam S. Francisci eodem modò dissolvi; quod tamen non factum, sed decisio ex verbis & mente ipsius Regulæ desumpta est juxta cap. exiit 3. de V. S. in 6. & Clem. exivi eod. tit. Injuriam ergo S. Benedicto inferunt, si qui juniores ex ejus Ordine filii Patrem in jus vocent, accusent de violentia seu usurpatione, & de possessione ultra mille annos continuatà deturbent.

At plus verborum quàm energie ejusmodi argumentis inesse, quanto magis ostendam. Ad I. siquidem fateor, Abbatem quàm Monachum obligari ad Regulæ observantiam, non minùs quàm alii Religiosi. At, quod assumitur in propositione minori, Abbatem obligari in conscientia ex cap. 3. S. Reg. contra Dialecticos & Juris regulas proponitur. Vel enim intelligit P. Rottner Abbatem quàm Abbatem, vel Abbatem quàm Monachum? Si prius; committit fallaciam, immutat suppositionem, & Abbatem aliter in prima, & aliter in secunda propositione accipit, sicque inconvenienter arguit, & concludit. Si posterius; prorsus absone 3. 36 S. Reg. adoptatur Abbati quàm Monacho: loquitur enim de Abbate quàm superiore Monasterii, dum agit de adhibendis ad consilium fratribus, jubetque, ut Abbas, quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet om-

nem congregationem, & dicat ipse, unde agatur; & audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod utilius judicaverit, faciat. Ne verò Abbas ex potestate sibi commissa existimet, omnia sibi licere; addit S. Pater, & præcipit, ut cum timore DEI & observatione Regula omnia faciat; sciens, se procul dubio de omnibus judiciis aequissimo Judici DEO rationem redditurum.

Est nempe S. Regula & norma securissima, & cynosura rectissima, juxta quam Abbas quàm talis suum regimen temperare, ac Regulares sibi subditos tum in communi tum in particulari gubernare tenetur, non tam vi & virtute solius Regulæ, quàm ex Jure Naturali & Divino, ex cuius dictamine omnes Superiores, Pastores, Rectores, & Curatores animarum juxta exigentiam officii earum salutem spiritualem & temporalem omni meliori modò prospicere & promovere obligantur, prout idem S. Pater in cap. 2. uberius declarat.

Ad II. de verbis præceptivis S. Regulæ responso petenda est ex nostra ratione quarta, in hoc cap. à num. 370. in medium allatà, quod nempe verba ejusdem Regulæ aut non sint præceptiva, aut dubia, aut, spectatis omnibus, non sufficienter declarativa obligationis pro foro conscientie: quòdve etiam sensus Virorum, æquè doctrinà ac virtute præstantium, faveat nostræ sententiæ, patet ex eodem cap. num. 363. 366. 374. & seq. Et, quantum sapio & capio, illi, qui nostri dogmatis assertores impugnant, videri volunt rigidiores perfectionis religiosæ Zelotes, quos ego quidem laceffere non volo, sed, ut ab omni sequiori suspicione me liberum abire sinant, id, quod cit. cap. num. 393. studiosè adnotavi, denuò inculcare, quòd scilicet Regula nostra per se loquendò non obliget sub peccato; obliget tamen plerumque vi voti conversionis morum, ratione cuius Benedictini obstringuntur ad habendam voluntatem, Regulæ conformiter vivendi, & ad perfectionis consecutionem tendendi. Quæ sanè dicendi docendive ratio ne umbram quidem alicujus laxitatis præfert.

Ad III. Resp. ab Antagonista nostræ al-

sertionis Patronos absque injuria non posse vocari injurios in S. Patrem, quòd ipsi Jurisdictionem Ecclesiasticam pro eo tempore, quò Sanctam Regulam concinnavit, negarint. Docent enim verò Canonistæ sentu & consensu ferè communi, Abbatibus Regularibus usque ad tempora Gregorii Magni Jurisdictionem Ecclesiasticam in suos Monachos non competisse, sed tam Abbates quàm Monachus immediatè Episcopis Diocesani subfuisse; signanter Gonzalez ad cap. grave de Offi. Jud. Ord. à num. 9. Thomasin. de Eccles. vet. & nov. discipl. p. 1. lib. 3. cap. 26. & seqq. Cardinal. Albicus post Card. de Luca de Jurisdic. discept. 2. quæst. 1. per tot. Eminentiss. Card. Vinc. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 353. & seqq. Quomodò ergo S. Benedicto Ecclesiastica Jurisdictione competere potuit, qui ante S. Gregorium M. vixit, & scripsit? Quò non obstante, verissimum est, S. Regulam à Spiritu Sancto fuisse dictatam, utpote indubitam exactamque adipiscendæ perfectionis normam, ad quam non per solos conscientie compedes & laqueos, sed per suaves & salutare ordinationes, nonnunquam penarum interminatione cum discretionem temperatas, uti & per pia monita & salubria consilia securè pervenitur.

Verissimum quoque est, S. Benedictum habuisse potestatem dominativam seu æconomicam in omnes Regulares sibi subditos, qui per ipsam professionem & votum obedientie voluntates suas illius imperio subjecerunt: atque hanc potestatem in omnibus Monasteriis, à se fundatis, aut Ordinem suum professis, à DEO, cuius instinctu tam sacram, discretam, prudentem & eminentem Regulam concinnavit, non verò Jurisdictionem propriè Ecclesiasticam, in clavibus Ecclesiæ fundatam, S. Patrem, velut Caput Regulare, accepisse, facile admittitur.

Quæ omnia nostris & aliorum Canonistarum principis conformia sunt, uti legenti & expendenti scripta nostra haud difficile erit judicare: indèque supervacaneum censo, ad alia, levioris considerationis objecta, quæ à supra allegato scriptore hinc inde insperguntur, prolixius respondere.

CAPUT II.

De Jure Naturali.

SUMMARIA.

1. Nostra definitio Juris Naturalis impugnatur. 2. Salvatur. 3. & 4. Jus Naturale non est commune hominibus & brutis. 5. Nostrum principium de cognoscendo Juris Naturalis ob-

jecto impetitur. 6. Defenditur. 7. & 8. Illa quoque objecta posse ad Jus Naturale referri, qua discursus indigent, cum aliis adducuntur.

QUÆSTIO I.

An rectè Jus Naturæ per hoc definiatur, quòd præcipiat ea, quæ rectè rationi sunt consentanea, & prohibeat contraria?

ITa supponitur ex hoc *cap. num. 48.* sed impugnatur à Joan. Balthafaro Wernhero in *dissert. Jur. Nat. dissert. 3. §. 13.* quia suppositio illa, quòd nonnullis actibus moralis turpitudine vel necessitas aut bonitas insit, etiam abstrahendò à præceptione & prohibitione Divina, est falsa: obligatio enim omnis à Superiore est, quatenùs is aliquid fieri, aut non fieri, præcipit, aut vetat; adeoque relationem ad legem dicit, & hinc non minùs à

Jure Naturæ, quàm Positivo, in objectum se diffundit. Verùm, si adhibeatur distinctio, in *ead. cap. num. 34. & seqq. item num. 61.* subministrata, inter bonitatem seu turpitudinem fundamentalem seu physicam & formalem seu moralem, tota difficultas est sublata: obligatio siquidem formalis & moralis provenit à Superiore; fundamentalis autem & physica, tanquam pertinens ad naturam rei, suò modò præcedere potest.

QUÆSTIO II.

Detúrne Jus Naturale, quòd materialiter hominibus & brutis sit commune?

Resp. negativè. Tametsi enim in *d. cap. numer. 27.* admiserim, definitionem Justiniani in *pr. Inst. de J. N. G. & C.* quæ Jus Naturale dicitur, quòd natura omnia animalia docuit, posse explicari in sensu materiali minùsque proprio de actibus quibusdam, brutis & hominibus quoad objectum & materiam communibus; ex hoc tamen inferri nequit, dari etiam Jus Naturale, materialiter homi-

nibus & brutis commune: quia etiam quoad actus illos, hominibus & brutis communes, longè diversa est ratio hominum & brutorum, dum ista non tam agunt, quàm aguntur impetu naturæ; illi agunt liberè, ac dictamini Juris Naturalis actus illos conformare student. Vid. Clariss. P. Schmalzgrueber in *Dissert. proam. ad Jus Ecclesiasticum, §. 2. num. 46.*

QUÆSTIO III.

Undenam objectum Juris Naturalis dignoscendum sit?

Regulas id dignoscendi tradidi *d. l. à n. 87.* Alias tradit *cit. Wernherus §. 7.* dicitque: quidquid communis hominum conditio necessariò infert, seu, quidquid necessarium cum societate nexum habet, id est præceptum Jure Naturæ; & quidquid est contra communem hominum conditionem, id est prohibicum Naturali Jure. At, quia hæ regulæ fundantur in socialitate, uti non

differtur Wernherus *d. l.* Socialitas autem pro primo & universali Juris Naturalis principio vel idèò statui non potest, quòd Jus Naturale non tantùm hominem erga se ipsum, sed quàm maximè ad agnoscendum, diligendum, colendumque DEUM per se primò perficere studeat, velut in hoc *cap. à num. 78.* fusè declaratum est: cum nostra sententia combinari nequeant.

QUÆSTIO IV.

An ea solùm ad objecta Naturalia sint referenda, quæ per se & primò intuitu sunt nota?

Resp. negativè. Ratio est: quia, ut constat ex præf. *cap. à num. 110.* quàmplurima Juris Naturalis objecta discursu quòdam indigent, cujus adminiculò intrinseca rei honestas vel deformitas ex datis à nobis regulis detegatur: neque enim omnibus & primò quasi intuitu notum est, matrimonium v. g. in hoc vel illo gradu propinquitatis; meadacium, vindictam propriam, fornica-

tionem simplicem &c. esse objecta per se turpia. Unde, si absque discursu objecta Naturalia deberent primà facie nobis innotescere, ad minimum certè numerum constringerentur, aut vix unum à rudioribus & crudioribus mortalibus admitteretur, veluti pro sua consuetudine insigniter ostendit Clariss. P. Schmalzgrueber *cit. dissert. proam. §. 2. num. 57.*

CAPUT III.
De Jure Divino Positivo.

SUMMARI.

1. Omnia præcepta Veteris Testamenti fuerunt Divina. 2. Gentiles illis non adstringebantur. 3. Enumerantur libri hujus Testamenti. 4. & seqq. In Lege nova non continentur novum præceptum morale. 7. & 8. Respondetur ad textum oppositum. 9. & seqq. In eadem Lege nova non licet observare præcepta ceremonialia Legis antiquæ. 12. De exemplo Apostolorum remissivè. 13. & 14. Recensentur libri Testamenti novi.

QUÆSTIO I.

An omnia præcepta Veteris Testamenti fuerint Divina?

Affirmativa assertio deducitur ex isto *cap. à num. 7.* ubi, cum solum DEUM agnoverimus pro Authore Veteris Testamenti, cujus jussu & mandato à Moyse Duce populi

Israëlitici omnia & singula præcepta fuere promulgata; reipsà conclusum est, omnia præcepta Veteris Testamenti fuisse Divina, à suo Legislatore nomen sortita.

QUÆSTIO II.

An Leges Veteris Testamenti obligaverint solos Judeos?

Responso affirmativa habetur ex *d. cap. numer. 11.* Unde Gentiles non obstringebantur Legibus Mosaicis, quæ ceremonialia aut judiciales vocabantur, sed poterant, adjuvante Divinà Gratia, justificari abs-

que illarum observantia, quando saltem Leges morales seu naturales observarunt. Conferatur Exam. P. Victorianus Steidle in *Trakt. Theol. de Leges Veteri art. 2. num. 6.* ubi plura de Lege Veteri pertractat.

QUÆSTIO III.

In quibusnam libris contineatur Jus Veteris Testamenti?

Discendum id, firmæque fide tenendum ex Concilio Tridentino *sess. 4. in decreto de Canon. Scriptur.* Sunt nempe quinque libri Moyse, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralippomenon; Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psal-

terium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum; Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus & secundus.

QUÆSTIO IV.

Utrùm in Jure Divino Novi Testamenti inveniatur aliqua Lex nova moralis, quæ non erat in Testamento Veteri?

Negativæ, quam amplexus sum in hoc *cap. à num. 42.* obstare videtur, quòd Lex de proximo diligendo jam quidem fuerit comprehensa in Testamento Veteri, sed eo cum discrimine, ut nomine proximi tantùm intelligeretur amicus, non verbò inimicus; juxta illud *Matth. 5. v. 43. Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Verùm *cit. antea P. Victorianus Steidle artic. 10. à numer. 3.* egregiè declarat ex PP. & S. Scripturæ Expositoribus, nullibi in Jure Veteri scriptum extare, quòd liceat inimicum odio prosequi, sed ab Hebræis Præceptum Divinum de diligendo amico per sensum contrarium peperam fuisse explicatum, quasi licitum sit, ini-

micum, imò omnes Gentiles, odio habere: quam sinistram explicationem Christus Dominus reardguere & corrigere volens, *cit. l.* Legem Veterem in saniori sensu exposuit, quòd nempe per amicum quisvis proximus, propensus vel averlus, Judæus & Gentilis, intelligi amarique debeat.

Neque refert, quòd in Deuteron. 25. v. 19. scriptum sit: *delebis nomen ejus sub celo, cave ne obliviscaris:* id enim exaudiendum est de gente Chananæa, quam non quidem ex odio sed ex justo & inscrutabili suo judicio DEUS per Josuem & Hebræos excindi & occidi mandaverat. Sanè, quòd Judæi ab ultione & vindicta privata abstinere, suosque inimicos diligere fuerint obligati, abundè patet ex 6. 23. Ex. v. 4. & 5. & c. 19. Lev. v. 17. & 18.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An etiamnum in Testamento Novo liceat observare Leges Veteris Testamenti?

Hæc quæstio potissimum est concepta de Legibus ceremonialibus, circa Sacrificia, Sacramenta, Sacra & cæremonias versantibus: nam Leges morales, seu naturales, aliunde sunt immutabiles: judiciales verò, etsi vi obligandi non amplius polleant, possunt tamen in politica Christiana pro libitu Imperantium reassumi. Itaque de cæremonialibus loquendò, certum videtur, & de fide, earum observantiam non amplius esse licitam. P. Victorianus Steidle *art. 12. per tot.* Siquidem, cum Leges ejusmodi fuerint prototypum Sacrificii & Sacramentorum novi

Testamenti, absque injuria Christi Domini, idem Sacrificium & Sacramenta instituentis, observari nequeunt. Posset enim verò nonneminem in mentem venire, quòd umbra esset clarior luce, figura nobilior figuratò, ancilla potentior Dominà, boves & oves excellentiores agnò immortali & immaculatò.

Quò verò sensu Apostoli per aliquod tempus judaizandò cæremonias legales Veteris Testamenti adhibuerint, ut nempe Judæi, videntes, Synagogæ suæ ritus à Christianis non contemni, facilius ad fidem converterentur, dilucidat *cit. Author d. h.*

QUÆSTIO VI.

Ex quibus Libris Testamenti Novi Leges sint addiscende?

Indicem hic præbet supra commendatum. S. Concil. Trident. *sess. 4. in Decreto de Canon. script.* Sunt neque quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum, à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ S. Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbreos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Si quis autem (sunt formalia hujus Concilii) libros ipsos integros (intellige utriusque Testamenti) cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non suscipiat, & traditiones prædictas (quæ nimirum sine scripto ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manu traditæ, ad nos usque pervenerunt, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes) sciens & prudens contempserit, anathema sit. Quæ de re ampliora scribunt Theologi.

CAPUT IV.

De Jure Gentium.

SUMMARIA.

3. & seq. Jus Gentium non bene revocatur ad partem. 3. & seq. Immediata causa Juris Gentium est earum mutus & tacitus consensus. 7. & 8. Mediata est DEUS. 9. & seq. Ostenditur, quomodo salvari possit distinctio inter Gentes, consideratas ut singulas & univer-

sas. 13. Attingitur quæstio de jure navigandi ad quosvis. 14. & seqq. Referuntur argumenta Grotii. 21 Subsistunt illa, etiamsi mare non dicatur liberum. 22. Quia jus navigandi videtur esse servitus naturalis, omnibus præbens usum.

QUÆSTIO I.

Rectene Jus Gentium ad pacta referatur?

In nostra sententia, quam retulimus hoc *cap. à num. 14. & signanter num. 23.* id fieri non potest: cum enim Jus Gentium, æquè ac Naturale & Civile, nedum ab Imperatore Justiniano, sed etiam à plerisque Interpretibus numeretur inter species Juris Legalis; ex pacto econtra non jus legale, sed privatum, proprium, ac particulare confurgat: ac præter hæc Jus constitutionis non feratur à personis privatis quàm talibus, sed à Superiore seu persona publica quàm tali; pactum verò inea-

tur à personis privatis, vel etiam à publicis, quatenus privatorum jure censentur: hætenus persuaderi non potui, ut decantatum illud & inviolabile Jus ac Legem Gentium in classem pactorum referrem.

Si dicas: Jus Gentium, etsi pactione mutua primitus introductum, adhucdum speciebus Juris Legalis accenseri, quòd quælibet Gens in sua regione illud subditis per modum Legis præscribere valeat. Contra est: quia Jus Gentium & nomen & efficaciam

etiam fortitur à Gentibus, quatenus sunt Gentes, ac primariò afficit singularum provinciarum Rectores, Principes, & Capita, quibuscum inter se, tanquam supremos & liberos,

negotia vertuntur: adeoque rationem Legis habet ab ipsis Gentibus, & non earum subditis, respectu quorum in effectu potius Jus Civile appellari potest.

QUÆSTIO II.

Cujus auctoritate Jus Gentium sit conditum?

Conveniunt plerique, Jus Gentium mutuo earum consensu, per diuturnos & uniformes mores circa unam eademque materiam explicatò, immediatè fuisse conditum. Quam in rem bene dicitur Wertherus in *Dissertat. Jur. Natur. dissert. 3. §. 14.* nec ab expresso, nec tacitò pacto hoc Jus descendit; neque etiam per imitationem ab una Gente ad aliam pervenit, sed per hoc ipsum constitutum est, quòd plerique Gentes ea ratione certas actiones, quamvis non necessarias, utiles tamen socialitati esse, & proinde faciendas, judicaverunt. Ex hoc unanimi enim plerarumque Gentium consensu Jus natum de iis præcisè ob commune omnium interesse faciendis; quod Jus proinde propter manifestam utilitatem ex earundem Gentium interpretatione, sive expressà sive tacitè, ceteras quoque Gentes ad easdem actiones exequendas obligare aptum est.

Præter hanc causam immediatam in *d. cap. num. 19. & seqq.* adstruxi aliam & mediatam, DEUM Opt. Max. prout est Author humanæ societatis, & Auspex omnis Politicæ, qui, quod Gentibus ad mutuum utilitatem placuit, sua auctoritate roboravit, spiritumque legalem indidit: salvà juxta *num. 24.* ingenti differentia inter Jus Naturale & Divinum Positivum ex una, nec non Jus Gentium ex altera parte, dum illud immediatè à DEO, hoc immediatè à consensu & voluntate Gentium provenit. Alii quidem distinguunt inter

Gentes quàm universas, & quàm singulas, & sub priori consideratione Gentes volunt esse Authores & Conditores Legis; sub posteriori autem Gentes dicunt esse legibus subditas; ad eum ferè modum, quòd Populus in statu Democratico collectim imperat, & separatim ac sigillatim imperata exsequitur. Verùm in *d. cap. num. 16. 17. & 18.* jam ostendi, prælibatam distinctionem & paritatem cum libertate & suprematu singularum Gentium vix componi posse. Forsitan tamen facilius esset alia explicatio & instantia, desumpta ex systemate plurium Civitatum, inter se absque Duce aut Imperante communi sociatarum: ibi enim quælibet Civitas, etiam seorsim considerata, manet suprema, juraque Summæ Potestatis in suos subditos independentem ab alia exercet; quædam tamen jura v. g. belli, pacis, fœderum, una sine altera in usum deducere nequit, sed, ut bellum, pax, aut fœdus decernatur, omnium Civitatum aut majoris partis assensu opus est exhibitis in *Jurisprudens. Publ. univers. lib. 1. c. 4. à num. 77.* sicque Civitates quàm universæ & simul acceptæ Leges ferunt de bello & pace; quàm singulæ Leges latas exsequi videntur. Itaque & Gentes, quamvis ut singulæ jura Summæ Potestatis in suis ditionibus & provinciis exerceant, unaque alteri non sit obnoxia; ut universæ tamen seu collectim acceptæ Jus Gentium statuerunt, cujus observantia Gentibus singulis in particulari incumbit.

QUÆSTIO III.

An Facultas navigandi ad quosvis in mari reducatur ad Jus Gentium?

Pridem mota est præsens quæstio, & acriter inter Lusitanos, Hispanos & Batavos agitata; è quibus ultimi, authore Grotiò in *Dissertat. de Mari libero*, affirmativam calami & armis propugnârunt. Recruduit hæc controversia nostris temporibus, & quò minus ab eadem opinione affirmativa discedatur, stant etiamnum inconcussæ rationes Grotii. Nam, ut ille discurret in *cit. Dissert.* statim in *cap. 1.* Juris Gentium regula est certissima: licere cuivis Genti quamvis alteram adire, cumque ea negotiari. DEUS hoc ipse per naturam loquitur, cum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis suppeditari à natura non vult: actibus etiam aliis alias Gentes dat excellere. Quid ista? nisi, quòd voluit, mutua egestate & copia humanas fo-

veri amicitias, ne singuli, se putantes sibi ipsi sufficere, hòc ipso redderentur infociabiles. Nunc factum est, ut Gens altera alterius suppleret inopiam, Divinæ justitiæ instituto, ut eò modò (sicut Plinius dicit) quod Gentium esset uspiam, apud omnes natum videretur. Hoc igitur qui tollunt, illam laudatissimam tollunt humani generis societatem, tollunt mutuas beneficiendi occasiones, naturam denique ipsam violant. Nam & ille, quem DEUS terris circumfudit, Oceanus, undique & undique versus navigabilis, & ventorum statim aut extraordinariis status, non ab eodem semper, & à nulla non aliqua regione spirantes, nonne significant satis concessum à natura cunctis Gentibus ad cunctos aditum? Hoc Seneca summum